



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Desiderium vitæ melioris, per morbos, injectum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

296 Cap. XXVIII. Duodecimus morbi causa, ut virtutes excitentur, cuiusque ad illos tolerandos dolores; quas vires augere queat, si expediat; uti & morbos sua potentia tollere, siue per apta medicamenta, siue etiam per contraria. Cum qua potentia agnoscit coniunctam bonitatem, ut suos plus diligit, quam ipsi se metiplos. Hinc porro confidit, eum sua providentia nihil statuisse, quod non dirigat ad ægrotantis salutem, siue statuerit morbum, siue sanitatem.

XI.

Psal. 13. 4.

Aneas Syl-
vius in hist.
Bohem.

Apoz. 7. 17.
et 11. 4.

Eccli. 38. 9^o

XII.

4. Æger, dum credit, sperat; dum sperat, orat pro sanitate. Sed quia illi conscientia suggerit, non dignos esse, qui exaudiantur, Dei inimicos, cogitat de peccatis per poenitentiam expungendis; iuxta illud: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*; cogitat de placando Deo; cogitat de inferni supplicij, ad quæ, si comparentur omnes morbi, umbra sunt. Wenceslaus Bohemix rex, cum, toto exercitu profligato, & viribus fractis, captivus teneretur, rogatus, *Quo animo essis?* Respondit: *Numquam meliore. Cùm enim, inquebat, omnibus humanis presidij vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium daretur; nunc illis omnibus exutus Deum solum cogito, & in eo spem meam colloco, qui me, sat scio, non deseret, sed innocentem exaudiet.* Ad eundem modum, qui negotiorum magna multitudine ac varietate distracti, animum ad sidera attollere non possunt, per morbos in lectulum coniecti, incipiunt ad se redire, vitæ fragilitatem, fortunæ fugacitatem, humanam calamitatem, denique tristissimam damnatorum, & lætissimam beatorum æternitatem meditari. Hinc patientia exurgit. Hinc pia suspiria. Hinc sancti gemitus, & desideria illius regionis, in qua *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.* Hinc antè actæ vitæ poenitudo. Quamobrem, cum sapiens dixisset: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit*: mox adjecit: *Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto mundetur tuum. Da suavitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico, non solum corporis, sed etiam spiritali: ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorū, & sanitatem, propter conversationem eorum.*

5. Inde vilescunt terrena, cælum sapit, & extincto rerum caducarum amore, diuina appetuntur, quorum desiderio
animus

animus ægri inardescit. S. Birgitta regis Sueciæ filia, pro Algotio Dominicano sacrae Theologiæ Doctore DEVM precata est, ut orbitate oculorum & calculi tormentis liberaretur. Sed hoc responsum accepit: *Ille stella micans est, nec expedit. sanitate corporis obscurari animam eius. Certavit & cursum consummavit: nihil iam superest, nisi ut à me coronetur. Et hoc tibi signum erit quòd ab hac hora mitescent dolores corporis eius. Læcrim anima ei⁹ prorsus ardet igne diuini amoris.* Non diu post Theologus ille è mortali vita ad immortalæm lætus discessit, DEVM laudans, ob infirmitatem à celestis Patris sapientia, omnipotentia, ac bonitate, ad suam maiorem coronam, clementissimè ordinatam. Quo exemplo monemur, ne nimis in morbo, vel pro nobis, vel pro alijs, anxij simus. Nouit DEVS, quid quisque ferre valeat, vel quid ei profit. Infinita sapientia non errat, infinita potentia debilitati nostræ potest robur addere: infinita bonitas, nullum malum, nisi ad bonum finem infert.

6. Quòd si quis vel per pharmaca hominum, vel per miracula restauratus ad pristinum de inualetudine redeat vigorem vsque, etiam tum habet causam DEVM amandi, eiq; se se gratum ostendendi. Ita enim, *cùm venisset IESVS in domum Petri, vidit socrum eius jacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Nimirum patet, ut qui valetudinem à DEO receperunt, eandem in eius seruitutem; non in vanitates impendant. Mulier illa, quæ à sanguinis fluxu fuit sanata, Cæsareæ Philippi, ante domum suam, Christo statuam æream posuit, in accepti beneficij monumentum. Cui gratitudini & Christus vicissim gratus esse voluit. Nam ad eius statuæ basin herba excreuit, quæ, ubi in eam altitudinem portecta est, ut simbriam vestimenti eius attingeret, vim acquisiuit, itidem sanguinis sistendi. Sic ærea imago, dum miraculum significauit, & ipsa facta est miraculosa. Gratitude autem hanc à Christo expectari, manifestè docent verba Christi. Decem lepra coopertos mundauerat. *Vnum autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEVM, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem IESVS, dixit: Nonne decem mundati sunt: & nouem*

Sur. 13. Iulij
in vita eius.
cap. 11.

XIII.

Matth. 8. 14.

Euseb. lib. 7.
cap. 28. & So-
zom. lib. 5.
cap. 21.

Luc. 15. 17.

P

ubi